

Bibliothèque numérique

medic@

**Colon de la Motte, Guillaume -
candidat / Sue, Pierre - président. - De
sterniterebratione**

1786.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
necnon Academiae Typographi,
viâ Cithareâ,***

Cote : ms 2346, n°15



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x05x0015](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x05x0015)

D E
STERNITEREBRATIONE,
DISSERTATIO
ANATOMICO - CHIRURGICA,

QUAM, Deo juvante, & Præside M. PETRO SUE, antiquo Collegii Præposito, nunc Quæstore, antiquo Scholarum Præcticarum Anatomie & Chirurgiæ Professore, Regiæ Academiæ Chirurgiæ Consiliario & pro commercio extraneo Secretario, in generali Parisiensi Præfecturâ Chirurgo ordinario, necnon Academiarum Monspelliensis, Rothomagensis, Divionensis, Lugdunensis, Burdigalensis & Aurelianensis Socio; tueri conabitur GUILLELMUS COLON DE LA MOTTE, Æduensis, Artium Liberalium in Almâ Universitate Parisiensi Magister, Nosocomii Generalis in domo dictâ Bicêtre Chirurgus Præcipuus, Hospitii publici de Vaugirard, nec-non Luparæ Regiæ pro venatione Chirurgus Primarius, Theseos Auctor.

Die Lune 30^a Mensis Octobris, anno 1786, à sesqui - secundâ post meridiem ad septimam.

PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
PRO ACTU PUBLICO,
ET
SOLEMNI COOPTATIONE.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cytharæâ.

M. DCC. LXXXVI.



110



DE
STERNI TEREBRATIONE,
 DISSERTATIO
 ANATOMICO - CHIRURGICA.

PARTIUM Corporis humani situm, figuram, nexum, fabricam, nec-non harmoniam diligenter perpendere, earumque functiones naviter percillere, necessarium Chirurgi munus: sin- minùs, operationes Chirurgicas temerè & inconsultò celebrat De Sterni terebratione acturi, thoracis ergò generalem, & Sterni specialem anatomiam præmittere operæ pretium duxi- mus.

EX ANATOMIA.

Pectus, seu medius-venter, est ea pars trunci, collum inter
 A

4

& abdomen sita; hujus fines circumscribuntur anteriùs Sterno & claviculis, posteriùs vertebris dorfi duodecim & scapulis; à lateribus costis viginti quatuor, in septem veras & quinque spurias distinctis, inferiùs septo transverso *Diaphragmate* dicto. Hæ partes, unà cum musculis pectoralibus, intercostalibus, serratis & multis aliis, arcuatam fornicem, fursùm angustiore, deorsùm ampliorem efficiunt, tegumentis communibus involutam.

Pectoris cavum pleurâ obducitur, duabus lamellis conflata, quarum exterior, ob adhæSIONem cum partibus vicinis, aspera, interior lævis & humore jugiter stillanti madida.

In duas partes dividi potest pleura: quælibet singulum pulmonem continet & obtegit. Ex utriusque conjunctione oritur mediastinum, quod thoracem secundùm longitudinem obliquè & inæqualiter bipartitur; undè cavitas dextra sinistrâ amplior est.

Sub Sterni parte inferiori sibi mutuè accumbunt lamellæ mediastini; superiùs interstitium, quo thymus excipitur, suppeditant. Removentur posteriùs, & cameram cellulosam efformant, in quâ Pericardium, Cor, & vasa majora situm obtinent. Extrà pleuram, juxtà vertebras, pergunt Œsophagus, ductus thoracicus, aorta, azigos.

Sterni nomine intelligitur os longum, planum, tribus confans partibus in adultis, & sex vel octo in infantibus (1), interiùs modicè excavatum, exteriùs paululùm protuberans; superiùs latius, paulatim descendendo angustatur, & in suâ extremitate hæret cartilago, latinè *mucronata* vel *ensiformis*, græcè

(1) *Valverde*, Anat. Corp. Hum. 1607, in-fol. Dicit se in puero septem annos nato vidisse Sternum undecim fragmentis compositum.

Expositio vocata. Quæ quidem cartilago pro parte in adultis, rarissime verò in totum, nisi senioribus, durefcit.

Prima Sterni pars cum secundâ cartilagine unitur, quæ in solâ ætate provecâ os fit : undè sequitur in infantibus motus maximè sensiles adnotari inter primas duas Sterni partes (1). In lateralibus ejusdem marginibus superius articularis sese offert facies concava, cartilagine obducta, in quâ recipitur extremitas sternalis claviculæ.

Laterales Sterni partes inferius septem foveolis insigniuntur, quæ in sinu suo recipiunt extremitates cartilaginum septem costarum verarum. Hæ porro articulationes in infantibus mobiles sunt ; sed in adultis, & præsertim senibus, unâ conferruntur.

Connectitur Sternum antèrius musculis pectoralibus, magno & parvo, obliquis externis, & rectis abdominalibus, posterius musculo *triangulâri Sterni* dicto, pleuræ & mediastino ; superius musculis Sterno-mastoideis, Sterno-hyoideis, inferius Diaphragmati, obliquis ascendentibus & transversis abdominis musculis, & à lateribus costarum cartilaginibus, earumque musculis ac ligamentis numerosissimis.

Spongiosa Sterni substantia in medio ; extus verò & intus compacta est.

Tres Sterno assignari possunt usus : 1°. ut cordi ac pulmonibus propugnaculo sit ; 2°. ut costas sibi invicem firmiter devinciat ; 3°. ut mediastini fulciat membranas.

EX CHIRURGIA.

Ad tres referri possunt casus, juxta illustrissimum *Lamartini*.

(1) V. *Traité complet d'Anatomie*, &c. par M. *Sabatier*, tom. 1, p. 148, édit. de 1781.

niere (1), in quibus necesse est Sternum terebrâ perfodere :
1°. in Sterni fracturâ ; 2°. in hujus ossis carie ; 3°. quandò sub
eo in Mediastino adest pus foràs eliminandum.

1°. *De fracturâ Sterni.* Hæc plerumque gravissimis stipata
symptomatibus difficilè sensibus percipitur, nisi recentissima ;
factâ enim in partibus aponevroticis Sternum ambientibus con-
tusione, sequitur ingurgitatio vehemens, quæ in dignoscendâ
Sterni fracturâ digitos fallit. Præterea, vix frangi potest Ster-
num, quin arteriæ & venæ sub eo latentes lædantur, ac disrum-
pantur, proindeque pectoris dolores, spirandi difficultas, tussis,
sanguinis intrâ Mediastini lamellas aut in cavum thoracis pro-
fusio locum habeant. Repositio & coadunatio fragmentorum in
fracturâ Sterni, licet plurimis tentandæ modis, non semper
faciles. Contingere quandoque potest ut commendata artificia
parum profecerint, præsertim si symptomata urgeant ; undè
tunc cutem decussatim incidere non dubitandum, nudatasque
Sterni partes, vel per vectem quem *elevatorium* vocant, vel per
terebram leniter priùs contortam sursum versùs attollere prope-
randum (2).

Quædam rationalis analogia statui potest inter Sterni & ossium
cranii fracturam. Hanc in capitis vulneribus sufficientem esse mo-
diolum applicandi causam affirmarunt optimæ notæ Auctores. Enim-
verò, certâ constat experienciâ abscessus sub cranio accidentia conse-
cutiva producere, tam gravia, tam funesta, ut iis terebratione suc-
currere sæpe-sæpiùs jam non possit Chirurgus : insuper si Sterni

(1) Vid. *Mém. de l'Acad. Royale de Chirurgie*, tom. iv, pag. 545 & seq

(2) Illustrissimus M. *De la Martinière* tantam adhibuit solertiam in
curandâ Sterni fracturâ, ut, licet, sublatis plurimis fragmentis, videretur
arteria mammaris interna pulsans, illæscat amen hæc arteriâ, convalescit æger,
loc. suprâ cit. 1°. Obs.

structura ritè perpendatur, post illius fracturam puris sub eo effusio magis sequi potest, quàm sub cranio fracto, siquidem Sternum magis spongiosum, magis succis refertum, quàm cranii ossa.

Omnes ferè Auctores qui de ossium morbis scripserunt, de fracturâ Sterni etiam disseruerunt. Funestissima hanc subsecuta accidentia commemorat celeb. M. *Petit* (1). Analogiam inter cranii & Sterni fracturas à nobis modò allatam admittit. Celeb. *Duverney* (2) plures refert observationes quibus demonstratur sæpe-sæpiùs subitanè mortem Sterni fracturas sequi: cæterùm, in casu effusionis vel sanguinis vel puris, ad terebrationem recurrendum esse dicit. Tam necessarium, tam salutare auxilium in Sterni fracturâ nunquàm negligendum esse, extrà omne dubium stabiliunt plures maximè notabiles observationes, in actis *Academiæ Chirurgiæ* relatæ; modum autem operandi mox describemus, si priùs alios terebrationis in Sterno casus determinaverimus.

2°. *De Sterni Carie.* Magis adhuc quàm fractura Sterni caries terebrationem exigit. Nonnunquàm necesse est hanc repetitâ vice celebrare operationem, ut, quidquid erosum ac mortuum est in osse, avellatur. Quàm in hoc casu utilis sit terebratio, quantæ ex illius applicatione, pro ægri salute conciliandâ, exurgant utilitates, probant auctorum, & præcipuè *Galen*i, observationes (3). *Experientiâ* teste, in cranii ossium carie, modiolii applicationes multiplicantur ad ossium magna fragmenta refecanda: cur

(1) *Traité des maladies des os*, tom. 11, pag. 102, édit. de M. *Louis*.

(2) *Traité des Maladies des os*, Tom. 1, pag. 232 & suiv.

(3) *Admin. Anat.* cap. XIII, chart. tom. 1 v, pag. 161. Vid. etiam *Vanswieten*, *Comment. in aphor.* 298 *Boerrhavi*i. Vid. *Act. Reg. Academ. Chir.* tom. 1 v, pag. 558.

in Sterni carie minùs audacter ageret Chirurgus? Ex immortalis *Harvey* (1) observatione constat, periculofam esse non posse magnam substantiæ deperditionem in Sterno & costis. Notandum verò cariem in Sterno, naturâ suâ maximè spongioso, latè sese expandere posse; notandum adhuc modiolum non esse applicandum, si levis tantùm sit caries, & tota ossis substantia non corrodat, siquidem tunc sufficiat trepanum *exfoliativum* dictum applicare; quod ruginæ munus adimplet. Cauterium actuale in eodem casu alii proponunt, alii rejiciunt. Non nostrum verò hanc litem dirimere, quandò de solâ Sterni terebratione hîc agitur.

3°. *De abscessu sub Sterno.* Quoties pus intrâ mediastini duplicaturam intercipitur, (2) toties in hâc membranâ abscessus evenit. Celeber. *Freind* hos abscessus frequentiores quàm vulgò creditur asserit (3); persuasum habet pericardium & mediastinum, quod est ipsi contiguum, inflammationem variosque ejus exitus subire, sicut & pleuram & pulmones. Mediastini inflammati symptomatum à *salio diverso* datam descriptionem valdè laudat, quæ sic se habet: adsunt febris acuta, anxietas, sitis, respiratio brevis & frequens, magnus in thorace ardor, parvus ubique dolor, sed non in Sterno, ubi sentit æger potiùs constrictionem & impedimentum, quàm verum in respirando dolorem. Semper

(1) Exercit. de Generatione Animalium, &c. Genev. 1685, in-fol. Vid. etiam Act. Academ. Chir. tom. iv, pag. 565. Vid. etiam Hist. de la Chir. par M. Peyrilhe tom. II. p. 40.

(2) Negant quidem varii, ut *Ruisch*, *Winslow*, *Gerike*, illud mediastini interstitium; sed facillè demonstrari potest: minimum reverà in sanis cavum adest: sed quando à materiâ noxiâ separantur mediastini lamellæ, amplum fit cavum, ut docet *Blasius* Obl. Anat. pag. 15.

(3.) Hist. de la Médecine, article d'Avenzoar.

autem

autem cum his confociantur tussis & pulsus durus, ut accidit in pleuresi.

Si artis ope vel naturâ inflammatio ad resolutionem minimè vergat, sequitur necessariò suppuratio; undè morbus omnimodè faviens, diversis insidians modis, nunc ut in hydropicis angens, strangulans; nunc, ut in empyemate, suffocans. Larvâ nonnunquàm pleuresis indutâ, duro, acuto, punctorio ægrum afficit dolore: quin & ipsam cordis palpitationem quandoque mentitur.

In morbi diagnosi tota igitur manet difficultas. Nodum ille solus solverit, qui signa propria à communibus secreverit, aut secernendi vias tradiderit. Terebrationem suadent *Columbus* (1) & *Barbette* (2) in abscessu mediastini; sed abscessûs signa non deducunt: unde *Paré* (3) quærit à *Columbo*, quonam modo dignosci potest talem materiam ibi esse contentam?

Hæc sunt tamen peculiaria signa quibus mediastini suppuratio cognosci potest. Viget febris acuta, adest sicca tussicula; ad diaphragma sentitur ab ægro gravitas, & ipsius elevandi impedimentum; anhelosa, difficilis, erecta est respiratio; quamlibet in partem ægri decubitus impossibilis, sed in anteriorem tolerabilior. Puris intercepti motus, strepitus nonnunquàm secernuntur. Dolo acuto, duro, ipso inspirationis momento graviore, juxta

(1) De Re Anatomicâ lib. 15. inter mediastinum, inquit *Columbus*, pag. 225, id est, hanc duplicem pleuram, thoracem in duo secantem, materia aliqua colligi potest; quæ perforato Sterno, tutò satis extrahi potest à diligenti Chirurgo, reique anatomicæ peritissimo.

(2) *Barbette* Pratique de Chirurgie, &c. Lyon, in-12. 3 vol.

(3) Liv. 4 de l'Anatomic, chap. VII, du Médiastin.

mediastini in Sterno directionem, afficitur æger, torquetur, discruciat. De puris præsentia aliundè nullus erit dubitandi locus, si jam præcesserit pleuresis aut peripneumonia minimè soluta; nam signa abscessus in mediastino à causâ internâ orti, desumi debent à symptomatibus tum primariæ in hac parte inflammationis, tum ejusdem exitus in purulentam suppurationem. Trepanum applicari in Sterno vult *Petitus* (1), pro unicâ salutis anchorâ, quandò in mediastino adest abscessus: idem sentiunt & proponunt *Junckerus* (2) & *Platnerus*. (3) Attamen hanc operationem non semper postulant hi abscessus. Si enim versùs Sterni partes laterales suam haberent expansionem, tunc forsan melius foret partium mollium incisionem antepone, in costarum interstitio, & tunc empyema in loco necessitatis, vulgò dicitur, celebraretur (4).

Idem dici non potest de mediastini abscessibus, qui signis externis, ut carie, puris fusuratione, sese distingui sinunt. Indicatio in his evidens est, & terebratio urgens, ut ex orci faucibus eripiarur æger. Sunt qui Sterni terebrationem istam non æquè periculosam existimant esse atque illam quæ in cranio instituitur, quia longè faciliùs in capite quàm sub Sterno partes no-

(1) *Traité des maladies des os*, loco superius citato.

(2) *Conspect. Chir. tum Medicæ, &c. in-4º. 1731.*

(3) *Inst. Chir. nº. 634*, ubi dicit: in hoc casu jam olim Chirurgia propofita fuit, quæ Sternum modiolò exciditur: ad quod auxilium decurrendum, ubi ultima experiri statutum est.

(4) Vide *Thesim in Scholis Medicis*, annis 1742 & 1774 propugnatam, an in abscessu mediastini celebranda Sterni terebratio? Affirmativè concludit Auctor, & in parte sinisteriori jubet terebrari.

biliores laeduntur (1). Dionysius è contrà tradit (2) se hanc operationem vidisse quidem, verùm ægrum postea expirasse (3).

Cognitâ autem morbi naturâ, à Chirurgo effectus quilibet præsentis debellandi & profligandi; accidentia verò futura præcavenda, & si superveniant, amovenda. Abscessus mediastini opportunè curatus in sanationem exit: sibi relictus, nihil nisi funestum, horrendum & lethale procreat. Sed puris minuenda est copia, imò tollenda omninò: indè ægro salus, gloria medenti. Summum & unicum adversus hunc morbum in terebrâ præsidium. Sanationem à naturâ denegatam à terebratione exoptula: eo instanti quo patet aditus puris expulsionem favens, integrâ frui valetudine arbitratu æger. Omnia evanescent symptomata, fugit horum horrenda cohors. Quosdam terret, in trepanatione, sanguiferorum vasorum dilaceratio, vitandam secum inferens hæmorrhagiam. Nos non later Sterni margines lambere arterias mammarias. Verùm ipsis est parendum ope coronæ terebræ minori diametro donatæ: aliundè, hæmorrhagiæ, si quæ sit, brevi finis imponitur, mediis contra hanc adhibitis.

4°. *Operandi modus.* Ante omnia resupinare hominem ægrum convenit, positamque in infimâ Sterni parte, ubi foramine quandoque abscessus se prodiit, cutem lineis in crucem factis diligenter incidere. Tunc, diductis cutis ab invicem oris, Sternum per admotum modiolum ita perforatur, ut sit in ipsius craniiterebratione; trepano ergò perforante, quod loco coronæ jungit Chirurgus, in Sterno foramen imprimit, factoque foramine terebra sive trepanum, sive modiolus cum coronâ applicatur. Trepano supremo sinistram manum unâ cum fronte vel

(1) Vid. Bartholin. Anat. reform. lib. II. cap. IV.

(2) Cours d'opération de Chirurgie.

(3) Sedillier, Mercure de France, anno 1757. Février; & in Hamb. Magaz. tom. XX, refert de Sterno felici eventu perterebrato.

mento Chirurgus imponat; dextrâ autem terebræ ansam vel arcum lentè ac circumspectè tantisper circumagat, donec & clavus medius & corona ferrata sufficiens vestigium circuli effecisse in Sterno advertantur. Tunc enim clavus seu cuspis claviculæ subsidio eximitur, rursùmque immissa corona circumspectè manu dextrâ, quantum sat est, circumagitur: scobis interim per adhibitas scopas setaceas ac denti calpium identidem quàm diligentissimè cum ab ipso Sterno, tum à coronâ ferratâ modiolus etiam removetur, donec tandem scobis ferè rubicunda vel sanguine infecta in conspectum prodierit: hæc enim ad mediam usque medullarem Sterni partem ferramentum penetrasse significat. Tunc cum maximâ, quoad fieri potest, circumspeditione agi modiolus debet, ne lapsu violento in mediastini cavum ruat.

Facto hunc in modum foramine, sic in pectus inclinari ægrum oportet, ut quàm commodissimè fluere valeat materia corrupta. Linamentis primâ vice aridis, postea unguento digerente nutritis, ulcus deligatur. Bis aut ter in deligationibus singulis liquor purgans, idemque calidus ope syphonis injicitur, diligenterque rursus emittitur. His aliquandiu sic observatis & confectis, circumspiciendum est num liquor injectus ab omni materiâ vitiosâ puris liber ex ulcere profluat. Tunc enim hoc satis expurgatum esse intelligitur, adeoque vulnus balsamo vulnerario glutinandum. Cæterum id quoque in curatione providendum est imprimis, ut medicamenta interna, cujusmodi infusa vel decocta & balsama vulneraria sunt, propinentur.

F I N I S.